BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Ne offendas oculos satraparum philistinorum.
Dixitque david ad achis. Quid enim
feci. aut quid invenisti in me servo
tuo. a die qua fui in conspectu tuo usque
ad diem hanc. ut non veniam et pug-
nem contra inimicos domini mei re-
gis. Respondens achis locutus est ad
david. Scio quia bonus es tu in o-
culis meis sicut angelus dei. Sed princi-
pes philistinorum dixerunt. Non ascen-
det nobiscum in prelium. Igitur consurge
mane tu et servi domini tui. qui
venerunt tecum. et cum de nocte sur-
rexeritis. et ceperit dilucescere. pergite. Sur-
rexit itaque de nocte david ipse et vi-
ri eius. ut proficiscerentur mane. et ad
terram philistiim reverterentur. Phi-
listiim autem ascenderunt in iezrahel.

XXX

Cumque venissent
david et viri eius in siceleg.
die tercio. amalechite impetum
fecerunt ex parte australi in sicelech.
et percusserunt sicelech et succenderunt
eam igni. et captivas duxerunt
mulieres ex ea. a minimo usque ad
magnum. et non interfecerant quemquam.
sed secum duxerant. et pergebant itinere
suo. Cum ergo venisset david et viri
eius ad civitatem. et invenissent
eam succensam igni. et uxores su-
as et filios suos et filias ductas
esse captivas. levaverunt david et
populus qui erat cum eo voces suas.
et planxerunt donec deficerent in eis
lacrime. Siquidem et due uxores da-
vid ducte captive fuerant. achino-
em iezrahelites. et abigail uxor na-
bal carmeli. Et contristatus est da-
vid valde. volebat enim omnis
populus eum lapidare. quia amara
erat anima uniuscuiusque viri super
filiis et filiabus suis. Confortatus
est autem david in domino deo suo. et
ait ad abyathar sacerdotem filium
achymelech. Applica ad me ephod.

Et applicavit abyathar ephod
ad david. et consuluit david dominum di-
cens. Persequar annon latrunculos hos
et comprehendam eos. Dixitque ei dominus. Per-
sequere. absque dubio enim comprehendes eos.
et excuties predam. Abiit ergo david ip-
se et sexcenti viri cum eo. et venerunt
ad torrentem besor. et lassi quidam
substiterunt. Persecutus est autem david
ipse et quadringenti viri cum eo. Substiterant
enim ducenti qui lassi transire non po-
terant torrentem besor. et invenerunt
virum egyptium in agro. et adduxe-
runt eum ad david. Dederuntque
ei panem ut comederet. et biberet
aquam. sed et fragmen masse caricarum.
et duas ligaturas uve passe. Que
cum comedisset. reversus est spiritus eius.
et refocillatus est. Non enim comederat
panem neque biberat aquam tribus diebus
et tribus noctibus. Dixitque ei itaque david.
Cuius es tu. vel unde. et quo pergis.
Qui ait ei. Puer egyptius ego sum.
et servus viri amalechite. Dereliquit
autem me dominus meus. quia egro-
tare cepi nudius tercius. Siquidem
nos erupimus ad australem partem
cerethi. et contra iudam. et ad meridiem
caleph. et sicelech succendimus ig-
ni. Dixitque ei david. Potes me
ducere ad cuneum istum. Qui ait.
Iura michi per deum quod non occidas
me. et non tradas me in manus domini
mei. et ducam te ad cuneum istum.
Et iuravit ei david. Qui cum
duxisset eum. ecce illi discumbebant
super faciem universe terre. comedentes
et bibentes. et quasi festum diem celebran-
tes. pro cuncta preda. et spoliis que cep-
erant de terra philistiim. et de terra iuda.
Et percussit eos david a vespera usque
ad vesperam alterius diei. et non eva-
sit ex eis quisquam. nisi quadringenti viri adole-
scentes. qui ascenderant camelos et
fugerant. Eruit ergo david omnia que